

posuerunt, quod pueris in baptismo non datur gratia et virtutes, sed imprimatur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes.

Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem, quia pueri sicut et adulti in baptismo efficiuntur membra Christi, unde necesse est, quod a capite recipiant influxum gratiæ et virtutis. Secundo, quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam æternam, quia, ut dicitur Rom. 9: Gratia Dei est vita æterna. Et ita non profuisset eis ad salutem, baptizatos fuisse. Causa autem erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum. Et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

Ad 1 ergo dicendum, quod fides et charitas consistunt in voluntate hominum, ita tamen, quod habitus harum et aliarum virtutum requirunt potentiam voluntatis, quæ est in pueris; sed actus virtutum requirunt actum voluntatis, qui non est in pueris. Et hoc modo August. dicit in lib. de Baptismo parvulorum (epist. 23 ad Bonif., non procul a fin., tom. 2), quod parvulum, etsi nondum illa fides, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum (quod scilicet causat habitum fidei) fidelem facit.

Ad 2, dicendum, quod, sicut August. dicit in lib. de Charitate, nemo ex aqua et Spiritu Sancto renascitur, nisi volens, quod non de parvulis, sed de adultis intelligendum est. Et similiter de adultis intelligendum est, quod homo a Christo sine ipso non justificatur. Quod autem parvuli baptizandi, prout viribus possunt, reluctantur, non eis imputatur, qui in tantum nesciunt, quod faciunt, ut nec facere videantur, ut August. dicit in lib. de Præscientia Dei ad Dardanum (epist. 57, post med., tom. 2).

Ad 3, dicendum, quod, sicut August. dicit, parvulis mater Ecclesia aliorum pedes accommodat, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur. Et ita pueri credunt non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur. Et hujus fidei virtute conferuntur eis gratia et virtutes.

Ad 4, dicendum, quod carnalis intentio de-

ferentium pueros ad baptismum, nihil eis nocet, sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiat. Unde August. dicit in epist. ad Bonifacium (23, parum ante med., tom. 2, et lib. 4 de Pecc. mer., cap. 25, in fin., tom. 7): Non illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed hoc eos putant remedio corporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

## COMMENTARIUS.

Materia hujus articuli in præced. disputat. tractata est. Etenim hæc quæstio ita conjuncta est cum alia de adultis, ut sine repetitione, et prolixitate, non potuerint separari. Littera autem D. Thom. satis clara est.

## ARTICULUS VII.

Utrum effectus baptismi sit apertio januæ regni cælestis (4, dist. 3, art. 1, quæst. 3, et dist. 4, quæst. 2, art. 2, quæst. 6, et 4 cont., c. 59).

1. Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod effectus baptismi non sit apertio januæ regni cælestis. Illud enim, quod est apertum, non indiget apertione. Sed janua regni cælestis est aperta per passionem Christi, unde Apoc. 4 dicitur: Post hæc vidi ostium magnum apertum in cælo. Non est ergo effectus baptismi apertio januæ regni cælestis.

2. Præterea, baptismus omni tempore, ex quo institutus fuit, habet suum effectum. Sed quidam baptizati sunt baptismo Christi ante ejus passionem, ut habetur Joan. 3, quibus, si tunc decessissent, introitus regni cælestis nondum patebat, in quod nullus ante Christum introivit, secundum illud Mich. 2: Ascendit pandens iter ante eos. Non est ergo effectus baptismi apertio januæ regni cælestis.

3. Præterea, baptizati adhuc sunt obnoxii morti et aliis pœnalitatibus vite præsentis, ut supra dictum est (art. 3 hujus quæst.). Sed nulli est apertus aditus regni cælestis, quamdiu obnoxii est pœnæ, sicut patet de his, qui sunt in purgatorio. Non ergo effectus baptismi est apertio januæ regni cælestis.

Sed contra est, quod super illud Luc. 3: Apertum est cælum, dicit Gloss. (Bedæ, Luc. 3, in c. 40 secundum suum ordinem, tom. 3): Virtus hic baptismatis ostenditur. de quo

quisque cum egreditur, regni cælestis ei janua aperitur.

Respondeo dicendum, quod aperire januam regni cælestis, est amovere impedimentum, quo quis impeditur regnum cælestis introire. Hoc autem impedimentum est culpa et reatus pœnæ. Ostensum est autem supra (art. 1 et 2 hujus quæst.), quod per baptismum omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur. Unde consequens est, quod effectus baptismi sit apertio januæ regni cælestis.

Ad 1 ergo dicendum, quod baptismus in tantum aperit baptizato januam regni cælestis, in quantum incorporat eum passioni Christi, virtutem ejus homini applicando.

Ad 2, dicendum, quod quando passio Christi nondum erat realiter perfecta, sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat januæ apertionem, non quidem in re, sed in spe; baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni cælestis expectabant.

Ad 3, dicendum, quod baptizatus non est obnoxiius morti et pœnalitatibus vite præsentis, propter reatum personæ, sed propter statum naturæ. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni cælestis, quando anima separatur a corpore per mortem, quasi jam persoluto eo, quod naturæ debebat.

## COMMENTARIUS.

Impugnatur ratio D. Thomæ. — Respon- detur. — Discrimen inter baptismum, et circumcisionem. — De hoc effectu jam supra dictum est. Solum est advertenda ratio D. Thomæ; probat enim baptismum aperire januam regni, quia tollit impedimenta regni cælestis, quæ sunt culpa, et reatus pœnæ. Contra quam instari potest: nam etiam circumcisio tollebat hæc impedimenta, et tamen non dicitur aperuisse januam regni, ut constat ex cap. Majores, de Baptismo. Item, baptismus ipse ante Christi mortem applicatus tollebat eadem impedimenta, et tamen non aperiebat januam regni. Nam si quis statim post baptismum tunc decessisset, non fuisset regnum cælorum ingressus. Sed sciendum est, aliud esse agere de personali impedimento, aliud de impedimento totius naturæ; nam illud tollitur per gratiam, et integram remissionem pœnæ debitam ipsi personæ; ad hoc vero tollendum necessaria fuit passio et

satisfactio Christi de se sufficiens pro lapsu totius naturæ; baptismus ergo cum non sit ad satisfaciendum pro tota natura, sed ad applicandum singulis personis generalem ac sufficientem Christi satisfactionem, non tollit ex se impedimentum totius naturæ, nisi quatenus illud redundabat in personam, cui applicatur baptismus, nam impediēbat illam ab ingressu regni, et hoc impedimentum tollit baptismus. In quo est differentia inter ipsum et circumcisionem, et omnem gratiam, quæ ante Christi mortem dabatur, quia tunc gratia non aperiebat januam regni pro illo tempore, et ita pro tunc non tollebat impedimentum illud totius naturæ, etiam prout in singulas personas redundabat, sed solum dabat jus obtinendi gloriam statim ac redemptio totius naturæ esset consummata. At vero gratia baptismalis statim aperit januam regni, quod per se convenit baptismo, in quantum institutus est signum passionis Christi jam exhibitæ et consummatæ, a qua habet virtutem applicandi satisfactionem jam factam. Quod autem ante Christi mortem baptismus non haberet hunc effectum, est quasi per accidens, quia tunc baptismus nondum habebat suam significationem perfectam, et erat quasi in statu præternaturali; quia licet ante Christi mortem institutus sit, tamen per se non instituebatur pro illo statu imperfecto legis veteris, sed pro statu perfecto legis gratiæ, in quo et redemptio Christi perfecta est, et impedimentum totius naturæ sublatum.

## DISPUTATIO XXVII.

## DE NECESSITATE BAPTISMI AD GRATIAM ET GLORIAM CONSEQUENDAM.

Hanc disputationem supra, q. 66, art. 4 et 2, in hunc locum remisimus, quia supponit ea, quæ in præcedenti disput. dicta sunt, nimirum baptismum conferre gratiam primam, et aperire januam regni. Statim enim inquirendum sequitur, an sit causa adæquata hujus effectus, ita ut sine illa fieri non possit; quod est inquirere, an baptismus sit necessarius necessitate medii. De necessitate autem præcepti inferius in parte morali dicendum est. Dicemus igitur primo de hac necessitate in communi; deinde tam in adultis, quam in infantibus sigillatim eam explicabimus.

## SECTIO I.

Utrum baptismus sit simpliciter necessarius ad gratiam et ad vitam æternam consequendam.

1. *Primus error negantium necessitatem baptismi.* — Multi hæretici negarunt hanc baptismi necessitatem, non tamen eodem modo, neque ex eisdem principiis et fundamentis. Primo Pelagiani cum negarent originale peccatum, et gratiæ necessitatem, consequenter negabant baptismum esse necessarium, vel ad remissionem peccati, vel ad gratiam obtinendam, vel ad consequendam vitam æternam, quam putarunt esse puræ naturæ debitam. Ita sumitur ex Augustino, hæresi 88.

2. *Distinguunt hæretici inter vitam æternam et cœlorum regnum.* — Quoniam vero Joan. 3, ait Christus, neminem sine baptismo ingredi posse regnum cœlorum, coacti sunt isti hæretici distinguere inter vitam æternam, et cœlorum regnum; et docere baptismum esse necessarium ad ingressum regni cœlorum, non autem ad vitam æternam. Quanquam hoc etiam limitavit quidam Vincentius Victor Pelagianus, dicens pueros non baptizatos detineri ab ingressu regni usque ad diem iudicii, postea vero illuc etiam ingressuros, ut refert Augustin., lib. 4 de Anima et ejus origine, cap. 9, et lib. 3, cap. 44 et 43. Quam autem differentiam isti hæretici constituerint inter vitam æternam, et regnum cœlorum, neque August. explicavit, neque a nobis cum aliquo fundamento doceri potest; cum ex sacra Scriptura constet, nec vitam æternam haberi posse extra regnum cœlorum, ut late August. prosequitur lib. 4 de Peccat. mer., cap. 48 et 20, nec magis unum, quam aliud posse sine baptismo comparari, ut videbimus. Sed hujus erroris fundamenta in materia de peccato originali, et de gratia evertenda sunt, ostendendo, homines in peccato originali nasci, et cum summa gratiæ necessitate.

3. *Secundus error.* — *Refutatur hic error.* — Secundus error similis præcedenti, quamvis minus generalis, est, baptismum non esse necessarium saltem hominibus ex parentibus fidelibus et baptizatis procreatis, quia, vel non oriuntur in peccato originali, vel certe, quia eis non imputatur, propter fidem parentum. Hic error antiquior est Calvino, ut constat ex Waldens, tom. de Sacram., tit. 3, cap. 53 et 54, illum tamen, aut excitavit, aut auxit Calvinus, ut constat ex Ruaro, art. 2, et Lindano, lib. 4 Panopl., cap. 45; Prateolo,

et aliis recentioribus. Nam alii hæretici fortasse putabant, saltem requiri, ut uterque, vel saltem aliquis ex parentibus proximis, non tantum fidelis, sed etiam baptizatus sit. Novi autem hæretici videntur docere satis esse, quod aliquis ex progenitoribus, quantumvis remotis, fuerit fidelis, præsertim ab eo tempore, quo facta est Abrahæ illa promissio: *In semine tuo benedicentur omnes gentes, et ero Deus tuus, et semini tuo, post te.* Omnes enim fideles sunt semen Abrahæ, non carne, sed spiritu et fide; ergo omnes complectitur illa promissio; omnes ergo fidelium filii sunt amici Dei. Sed præcipuum hujus erroris fundamentum, scilicet filios fidelium non nasci in peccato originali, est plane hæreticum, et contra generales locutiones Scripturæ, ut sæpe probat August., lib. 2 de Pecc. mer., cap. 9, 25 et 27, et lib. 4 de Nuptiis, c. 47 et seq., et lib. 6 cont. Julian., cap. 3, ubi argumenta hæreticorum dissolvit. Aliud vero hujus erroris fundamentum supra tactum, de promissione facta Abrahæ, vanum est. Quis enim cogitet, omnes filios Judæorum concipi, aut nasci sanctos, solum quia ab Abraham, vel Israel ducunt originem? dicente Paulo ad Roman. 9: *Non omnes, qui filii Israel, hi sunt Israelitæ, neque qui filii carnis, hi filii promissionis.* In illa ergo promissione facta Abrahæ, semen illud, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, est Christus Dominus, in quo et per quem divinam hæreditatem et benedictionem accipiunt quicumque illis efficiuntur digni per spiritualem in Christo regenerationem. Et ita explicuit Paulus ad Galat. 3 et 4, et declaravit August., epist. 200. Adde, quamvis per semen Abrahæ, filios Abrahæ intelligamus, ut in posterioribus verbis citatis intelligi potest, non oportere id exponere de filiis tantum secundum generationem carnis, sed secundum imitationem fidei. Vel denique, etiam si intelligatur de filiis secundum carnem, subintelligenda semper est conditio, si eandem fidem profiteantur. Judæus enim ante adventum Christi ex Abraham descendens, si non circumcideretur, non computabatur inter filios Dei, ut ex eodem loco Genesis colligitur. Non ergo satis erat generatio carnalis ex progenitoribus fidelibus, nisi adjungeretur eadem fides, seu ejusdem fidei professio.

4. *Tertius error.* — *Refellitur.* — Tertius error negat, baptismum esse necessarium, ex alio falso fundamento divinæ prædestinationis. Nam si homo (inquiunt auctores hujus

erroris) prædestinatus est, etiam si non baptizetur, salvabitur; si vero est reprobatus, etiam si baptizetur, non salvabitur. Ita est argumentatus Wiclef., ut refert Waldens., l. 2 de Sacram., cap. 96. Et novi hæretici dicuntur in eodem errore versari. Illa vero argumentatio, si quippiam valeret, non solum probaret, baptismum non esse necessarium, sed etiam non esse alicujus utilitatis ad salutem consequendam. Rursus etiam probaret, neque observare mandata, neque fidem, spem, aut charitatem, vel aliquod aliud medium, esse ad salutem necessarium, quia juxta illud argumentandi genus prædestinatio nullum medium requirit, ut executioni mandetur, quoad ultimum effectum, quod est absurdissimum. Nam prædestinatio, quæ est pars divinæ providentiæ, non excludit consentanea media ad finem consequendum, sed potius illa providet, atque ita disponit, ut infallibiliter ad finem perducant. Quod si prædestinatio non excludit media, quid prohibet, quominus unum ex illis sit baptismus? Nullius ergo momenti est illa collectio: Si est prædestinatus, etiamsi non baptizetur, salvabitur; sed potius colligendum esset, supposita baptismi necessitate: Si est prædestinatus, ergo non morietur sine baptismo, quia per ipsammet prædestinationem provisum erit, ut infallibiliter baptizetur. E contrario vero non sequitur: Si non est prædestinatus, vel si est reprobatus, ergo non baptizabitur; quia esto baptismus sit necessaria causa salutis, non tamen est adæquata seu sufficiens, neque carentia baptismi est adæquata causa damnationis. Potest enim etiam is, qui baptizatus est, damnari, si adultus sit; in infantibus vero, quia per proprium actum non possunt indigent ad salutem, recte inferri potest in nova lege: Si est reprobatus, et moriturus est ante ætatem adultam, ergo non baptizabitur; non tamen propter eandem causam, quæ de prædestinatione dicta est, sed e contrario, quia reprobatio supponit præscientiam carentiæ baptismi. Atque eodem modo de adulto vere dicitur, si reprobatus est, etiam si sit baptizatus, non fore salvandum, non quia baptismus ei minus fructuosus sit, quam prædestinato; sed quia ille, qui hujusmodi est, non perseverabit in justitia per baptismum accepta. Quod non ideo eveniet, quia reprobatus est, sed potius ideo reprobatus est, quia prævisus est non perseveraturus in gratia per baptismum accepta, ut recte dixit Prosper

in respons. ad cap. Gallorum, cap. 3 et 7, et in lib. Sent., cap. 3 et 7, de qua re latius alibi.

5. *Baptismi necessitas impugnatur.* — Prætermisssis ergo his fundamentis extraneis, et erroneis, aliunde videtur posse probari baptismum, etiam si sit causa efficax gratiæ, non tamen esse unicam, et adæquatam, et consequenter non esse simpliciter necessariam. Antecedens patet primo in adultis, quia licet non baptizentur, per fidem, charitatem, ac veram pœnitentiam possunt salvari. De parvulis vero, quia interdum baptizari non possunt, ergo tunc poterunt salvari per fidem parentum, sicut ante baptismum institutum salvabantur. Neque enim credibile est illis esse salutis viam oclusam, vel coarctatam per baptismi institutionem. De utrisque vero est etiam argumentum, quia licet non sint baptizati, per martyrium salvari possunt, juxta illud: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.*

6. *Conclusio.* — *Probatur primo.* — Nihilominus simpliciter dicendum est, baptismum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, et ad gratiam et gloriam consequendam. Conclusio est de fide. Probatur primo ex Scriptura, Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Loquitur enim Christus ibi de sacramento baptismi, ut supra ostensum est. In illa vero conditionali locutione intrinsece includitur necessitas. Nam illud dicitur necessarium ad finem aut effectum, sine quo fieri aut comparari non potest, præsertim cum sermo sit de sacramento instituto ad remissionem peccati originalis, cum quo nemo salvari potest, etiam si aliud non committat. Ut, si medicus infirmo diceret: Nisi hanc acceperis medicinam, non sanaberis, perinde est, ac si diceret: Hæc medicina est tibi ad salutem necessaria. Unde hanc necessitatem statim explicuit Christus, dicens: *Oportet vos nasci denuo*, nam verbum illud, *Oportet*, necessitatem significat, sicut ibidem dixit Christus: *Oportet exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*, docens, passionem suam fuisse nobis ad salutem necessariam. Hinc Petrus, 1 Can., cap. 3, baptismum dicit fuisse præfiguratum per arcam Noe in diluvio, quia, sicut per illam arcam pauci salvi facti sunt, qui illo remedio, tanquam omnino necessario indiguerunt, ita nos quoque similis formæ salvos facit baptisma. Et idcirco Actor. 2, interrogatus Petrus a quibusdam: *Quid*

faciemus? nimirum, ut salvemur, ipse respondit: *Pœnitentini igitur, et baptizetur unusquisque vestrum*; significans tam necessarium esse baptismum peccatoribus, quam pœnitentiam. Ac simili modo Paulus, cum ad Rom. 5 dixisset, sicut per unum hominem omnes lapsi sunt, ita per unum Christum esse vivificandos, statim capite 6 proponit unicam viam resurgendi a peccato per Christum, dicens: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* etc. Et ideo ad Titum 3, baptismum vocat regenerationem, per quam salvamur, quia sicut naturalis generatio ex Adamo est unica via contrahendi peccatum ex Adamo, ita hæc regeneratio per aquam est unica via resurgendi ab illo peccato per Christum. Atque in hunc modum intellexit semper Ecclesia has Scripturæ locutiones.

7. *Secundo probatur conclusio.* — Unde probatur secundo hæc veritas, Ecclesiæ auctoritate, et Patrum traditione. Primum enim antiqua Concilia contra Pelagium congregata hanc veritatem docuerunt, ut constat ex epistolis Conciliorum Carthaginensis, et Milevitani ad Innocentium Papam, et rescriptis ejus, quæ habentur inter epist. Innocentii, 24 et 26, et inter epist. Augustin., 90, 91, 92 et 93. Clarius id tradit Concil. Florent., quod propter hanc causam vocat baptismum januam spiritualis vitæ, ita exponens verba Christi Joan. 3. Concilium etiam Tridentinum, sess. 7, can. 5 de Bapt., anathema dicit in eum, qui dixerit, baptismum liberum esse, id est, non necessarium ad salutem. Sed hic canon exponi posset de necessitate præcepti, nam hæc necessitas videtur proprie opponi libertati, de qua ibi est sermo; tamen ex doctrina ejusdem Concilii, sess. 5, can. 4 et 5, colligitur hanc necessitatem non solum esse respectu adultorum, sed etiam respectu infantium, et ideo non posse esse solam necessitatem præcepti, sed etiam medii.

8. Præterea Siricius Papa, epist. 1, cap. 2, dicit, baptismum nemini esse negandum in necessitatis articulo, *ne, si absque baptismo decedat, et regnum perdat, et vitam*; et inferius vocat baptismum, unicum credulitatis auxilium; eodem modo loquitur Leo Papa, epist. 78, alias 80, ubi inter alia ait, *qui baptismo privatur, necessaria liberatione fraudari.* Et Clemens Papa, epist. 4, cum dixisset, per baptismi regenerationem exuere hominem maculam priori nativitate contractam, subdit: *Alias impossibile est.* Idem fere Iren., lib. 3

contra hæres., cap. 19, dum ait, aquam, et Spiritum esse necessaria, ut homo in vitam Dei perficiatur. Idem sumitur ex Gregor., 4 Moral., cap. 2, et Hieron., Dialogo 3 contra Pelagianos, ubi in hanc sententiam refert, et plurimum commendat libros Augustin. de Peccat. merit. et remiss., in quibus copiose hanc veritatem docuit Augustinus, qui etiam legi potest contra duas epist. Pelag., cap. 4, ubi Innocentium allegat, et lib. 4 de Anima et ejus origine, cap. 10, ubi facilius existimat hominem baptizatum, et in peccato mortali mortuum, potuisse ab æternis pœnis per intercessionem cujusquam sanctæ mulieris liberari, quam hominem non baptizatum per similes preces salvari; quod per quandam exaggerationem dictum videtur. Utrumque enim æque impossibile est, quia non est minus necessaria pœnitentia peccati mortalis post baptismum commissi, quam baptismus ad priora peccata delenda; quamvis, si dispensatio in hac lege esset admittenda propter preces alicujus Sancti, facilius videtur Augustino admitti posse circa hominem baptizatum, quam circa non baptizatum, quia ille est Christo et Ecclesiæ incorporatus, non vero hic. Eandem baptismi necessitatem docet idem Augustin., lib. 2 de Anima et ejus orig., c. 12, et lib. 3, cap. 9, ubi sic scribit: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, posse pervenire ad indulgentiam originalium peccatorum, si vis esse catholicus.* Idem epist. 28 ad Hier.; et similia habent Fulgent., de Fide ad Petrum, cap. 30; Prosper, lib. 2 de Vocat. gen., cap. 8: *Nec credi fas est, inquit, eos, qui non sunt adepti regenerationis sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium.* Idem docet Chrysos., hom. 40, in 1 ad Cor., ubi tractans illa verba: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* refert quorundam errorem, qui putabant posse aliquem ex vivis baptizari pro defuncto, qui sine baptismo decessit, ita ut baptismus ille mortuo prosit ad vitam. Quem errorem dicit esse contra verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit, in quibus unicuique, dum vivit, dicitur esse necessarius proprius baptismus.* Sed de illo loco Pauli, et quid sit baptizari pro mortuis, late disserui superiori tomo, disput. 50, sect. 1.

9. *Ratio conclusionis.* — Ultimo adhibenda est ratio hujus veritatis, quia cum omnes homines nascantur in peccato originali, et filii iræ, indigent aliquo medio, quo et ab

illo peccato liberentur, et Christo liberatori suo uniantur; sed in lege nova hoc medium, ab eodem Christo institutum, est baptismus, ut ex superiori tractatis de ejus institutione constat. Ostendimus quoque in superioribus, in omni lege fuisse necessarium aliquod sacramentum fidei ad hunc effectum, quod in unoquoque statu fuit suo tempori accommodatum; hoc autem sacramentum determinatum est ad baptismum in nova lege. Est ergo simpliciter necessarius ad suum effectum.

10. Atque hinc sequitur, baptismum non minus esse necessarium filiis fidelium seu baptizatorum hominum, quam reliquis. Probatur, tum quia etiam hi nascuntur in peccato originali, et filii iræ, et indigent incorporari Christo, ejusque caractere consignari; tum etiam quia omnia testimonia adducta generalia sunt, et universus Ecclesiæ consensus ita declarat verba Christi. Ac tandem expresse definit Concil. Trident., sess. 5, can. 4. Neque in hoc est ulla difficultas. Nam licet parentibus sit remissum peccatum originale, nihilominus per eorum carnalem generationem transfunditur peccatum originale in filios, quia non generant illos ut sancti, sed ut filii Adæ; et quia licet eis sit remissum peccatum quoad personalem maculam, non tamen, quoad communem naturæ defectum.

11. *Objectio.* — *Diluitur.* — Solet vero objici locus ille Pauli 1 ad Cor. 7: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Si ergo filii, qui nascuntur ex alterutro parente fidei, sancti sunt, non est illis necessaria simpliciter alia sanctificatio baptismi. Respondetur, ibi *sancti* vocabulo non intelligi justi et mundi a culpa coram Deo, sed idem quod legitimi et ex puro thoro nati. Docet enim ibi Paulus matrimonium inter fidelem, et infidelem non statim dissolvi. *Alioqui, inquit, filii vestri immundi essent, id est illegitimi.* Quod ergo subdit, *nunc autem sancti sunt, intelligit de sanctitate illi immunditiæ opposita, id est, legitime et honeste concepti; ita Ambr. ibi, cum aliis, et D. Augustin., serm. 14, de Verbis Apost., circa fin., et lib. 2 de Pecc. merit., cap. 26, et hic videtur litteralis sensus. Secundo vero dicitur, si intelligatur de vera sanctitate, non esse sensum filios sanctificari (ut sic dicam) ex opere operato, hoc solum, quod ex parentibus fidelibus oriuntur, sed quod eorum fide, et diligentia, ac exemplo*

possunt facile sanctificari, sicut ibidem dicitur sanctificari conjux infidelis per conjugem fidelem, quod tamen nullus intellexit fieri ex vi solius matrimonii, sed per exemplum, et sanctam conversationem, quæ non excludit necessitatem baptismi, sed est potius quædam occasio excitans ad suscipiendum illum. Ita exponit etiam Augustin., lib. 4 de Serm. Dom. in monte, cap. 27, et lib. 3 de Pecc. merit., cap. 12; Hieron., epist. 153, ad Paulin., qui citat Tertull., lib. de Monogamia, qui eandem fere expositionem habet lib. 2 ad uxorem.

12. Fundamenta hæreticorum, inter referendas eorum sententias, expedita sunt. Ultima vero ratio dubitandi a nobis proposita postulat dubitationes sequentibus sectionibus tractandas.

## SECTIO II.

Utrum sacramentum baptismi re ipsa susceptum sit adultis ad salutem necessarium.

1. *Quorundam error.* — Non defuerunt hæretici, qui docuerunt, nullum adultum posse salvari, si absque baptismo re ipsa suscepto moriatur, quantumvis desiderio ipsius flagaverit, et per eum non steterit, quominus fuerit ablutus. Ita refert Bernardus, epist. 77, et nostris temporibus Theologus quidam Lovaniensis, dictus Michael Baius, docuit, sine baptismo re ipsa suscepto, posse quidem interdum obtineri charitatem, non tamen comparari remissionem peccati ante realem baptismi susceptionem; movebaturque quibusdam Augustini testimoniis, quæ postea tractabimus. Hujus vero auctoris sententiam Pius V et Gregor. XIII, propriis rescriptis ac litteris contra doctrinam hujus auctoris editis, reprobaverunt. Alius autem error, qui in hac sententia continetur, scilicet, infundi charitatem absque remissione peccati, et in Concil. Trident., sess. 6, plane damnatus est, et in materia de gratia proprium habet locum, fusiorque contra illum est ibi disputatio.

2. *Prima conclusio.* — Dicendum ergo est primo, ad obtinendam primam gratiam et remissionem originalis peccati, et actualium, quæ cum ipso conjuncta fuerint, non esse necessarium semper baptismum in re ipsa suscipere, sed sufficere contritionem, baptismi votum in se continentem. In hac assertionem conveniunt omnes Theologi, tanquam